

IN FESTIVITATEM NUPTIARUM
SECUNDARUM

*Amplissimi, Doctissimi juxta ac experien-
tissimi Viri, Domini*

VALENTINI RUPITII,

Med. D. Per- Illustrum Dnn. Comitum à
Mansfeldt & Barbi Archiatri, nec non Reip.
Ascaniensis p. t. Physici,

SPONSI

Et

*Honestissima omniumq; virtutum ornamen-
tis decoratissima Fœmine*

MARGARETHÆ,

*Amplissimi, Consultissimi & Pruden-
tissimi Viri*

Dn. **CASPARI Heibergæ** Inclytæ Asca-
nensium Reip. Consulis olim meritisimi,
Relictæ Viduæ,

SPONSÆ.

Celebratarum Ascaniæ die 4. Decembris,

Anni 1637.

Epithalamion decantatum & &

a
Sponsæ Cognat: & Affin: a

Hale Saxonum, Typis PETRI FABRI.

Petri



Vantum animo valeas, quantum virtuteq; possis
 Et docta arte, VALENTINI signare videntur
 Nomina, lata tibi, vir Præstantissime, sacrâ
 Imbueret cum jam natum baptismatis undâ
 Sacrorum præco, verbique aræque Minister.

Æquam servasti casus æqualis in omnes
 Mentem, seu vultu risit fortuna sereno,
 Seu tua per tumidas fors est agitata procellas.

Vidimus hoc non obscure, sublimia tecta,
 Parthenopes aliquot cum exureret hosticus ignis
 Ante hyemes, tu ceuque Bias animosior alter
 Inde emigrares, quo fata pedesque ferebant,
 Nempe opponebas adversis fortia rebus
 Pectora, teque VALENTINUM nec Noricus ensis
 Turbavit, nec vis Vulcani sæva, tremendo
 Nec Mars ipse ruens visus terrere tumultu.

Vidimus hoc, postquam, viduato conjugè lecto,
 Reginam, vitæ quæ pars fuit altera, charam,
 Abstulit atra dies, & funere merfit acerbo,
 Fœmina Cumææ quæ digna ut seculâ vatis
 Viveret, ut cui cuncta Deus concesserat istum,
 Quæ decorent sexum, quam candor, multa que virtus
 Ornârat, nec non pietas gratisima cœlo,
 Et tunc æqua tibi mens est, non desinis esse
 Qui fueras, & quod nomen tibi signat amicum.

Nunc tandem vidui post tristia nubila lecti
 RUPITI subdis sacrato colla capistro,
 Et tibi relictam sociali fœdere jungis
 HEIDBERGI viduam, variâ virtute decori
 Eximiique viri, qui de Permesside lymphâ
 Hauferat Aonios latices, & magna suorum
 Spes erat, ingenuum caput, egregiumque clientum.

Præsi.

Præsidium, patriæ qui esset nunc Sca vola terre,
Dura Atropos rupisset ei nisi stamina vitæ.

Connubio cum nunc stabili tibi jungere meus sit
Hanc viduam, mihi quæ consanguinitate propinqua est,
Te rogo, te precibus qua fas ratione fatigo,
Hactenus ut durasti animum, contraque pericla
Cuncta obfirmasti; Sic ut quoque pectore firmo
Esse velis posthac; & te præstare Valentem
Atque virum fortem, tua quo pia Margarisi inde
Sentiat & lætè capiat solamina grata.

Ecce vides quæ diluvies non una malorum.
Obruat humanam miserando hoc tempore gentem.
Hactenus en fuimus mala per contagia pestis
Præda citæ morti, & nobis instare videtur
Rursus certa lues miseris, & lethifer annus,
Mars furit atque ardet furibundo milite mundus,
Annæ gravitas terrarum concutit orbem.
Ut non sit mirum frangi Mavortia corda
Si videas, nedum teneras formidine mentes.
Te contra mala tanta petit sibi Margarisi ista
Nunc tua Sponsa VALENTINUM, poscitque medelam.

Ega igitur, Sponsi titulo virtuteque macte
Vir præclare, novos hilari mente accipe honores,
Fortis ut incêpti res, sic quoque fortiter insta,
Jamque pari te mente virum præsta atque valentem,
Non te commoveat rabies sævisima Martis,
Et funesta lues quamvis quoque limina tangat
Nostra: Tamen subeas jam lætâ gaudia fronte,
Fortiaque adversis opponas pectora rebus.

Desino in hoc voto, Clarissime Sponse, precorq;
Ardenter superos, cum Sponsâ ut corpore firmo
Atque animo valeas, ut lecti gaudia vobis
Mille ferant, validam Prolem, validamque Crumenam;

Atq;

Atque fluant validæ morbis sine tempora vitæ:
Hæc tibi Sponse precor, precor & tibi Sponsa, secundet
Votum sancta Trias, nec cessent, quæ bona vobis
Imâ ex mente precor, placido descendere cœlo.

Henningus Episcopus Ascaniensis.

I I.
Regina à superis hodie tibi reddita visa est,
Urebat quæ olim dignis tua pectora flammis,
Ponitur in thalamum tibi dum perdocte RUPITI
Illa pii HEIDBERGI pia MARGARIS, atque medelam
Te poscit, vidui post tristia nubila lecti,
Ista procul dubio Superis conjunctio grata est.
Gratulor ergo precorque tibi felicia fata,
Rumpe hodie luctus, frontemque exporrige, Sponsam
Aspice, quam decorat pietas, morumque venustas.
Tristitiam poteris sic cunctaque pellere dura,
Vestra fide unanimi ut jungantur pectora, vestrum
Lites ne thalamum, ne turpia jurgia turbent,
Orabo superos tendens ad sydera palmas.
Res bene sic agitur, succedunt vota que fausto
Talo, dum à Dominò talis tibi contigit, uxor.
In Christo vir Clare vale, & cum tempore nullo
Bella piis desint animis, tu fortiter insta,
In Christo cunctos vitæ supera que labores.

Fridericus Pfläger Mansfeldensis.

F I N I S.

Cl 1926

ULB Halle 3
001 556 118




Stk. 6 = Handschrift


Sb.

Paul Friedrich
Buchbindereimeritor
Merseburg a. S.

1017







Farbkarte #13

B.I.G.



M.

86



M NUP TIARUM
ARUM

juxta ac experien-
Domini

IRUPITII,

n Dnn. Comitum a
hiatri, nec non Reip.
t. Physici,
SI

virtutum ornamen-
e Fæminæ

RETHÆ,

isimi & Pruden-

bergæ Inclytæ Asca-
is olim meritissimi,
iduaæ,
Æ.

e die 4. Decembris,
537.

cantatum & &

t: & Affin: a

PETRI FABRI. *Petri*

